

1099  
A  
109

M  
L



F

anf.

SS

50.

Programma

FESTO

RESVRRECTIONIS

DOMINI NOSTRI

IESV CHRISTI

IN ACADEMIA IVLIA

Anno MDCCCLXVII

P. P.



HELMESTADII,

Typis HENNINGI MÜLLERI, Acad. Typ.



PRORECTOR ACADE-  
MIÆ IULIÆ

VALENTINVS HENRICVS VOGLERVS

Studiosis Civibus

S.



Phil. II, 6,  
& seqq.

Bern. 1. de  
pass. Dom.  
c. 2.

Actenus consideravimus stupendum nul-  
lisque verbis unquam satis explicabile re-  
demtionis nostri generis peractæ myste-  
rium. *Christus Iesus videlicet, quum esset  
in forma Dei, ipse sese inani vit, forma ser vi  
accepta, similis hominibus factus: & habitu inventus ut ho-  
mo, ipse se submisit, factus obediens usque ad mortem, mor-  
tem autem crucis. Non duntaxat enim statim ab ortu  
cum egestate perpetuisque ærumnis per omnem vitam  
ipsi fuit conflictandum, sed eam quoque tandem cum  
morte eaque summe ignominiosa commutavit, idque  
innocentissimus, postque tanta & infinita beneficia  
in gentem suam jam tum promiscue sine exemplo col-  
lata. Subjicitur (inquit suavissimus Bernhardus) fami,  
siti, caloribus, frigoribus, doloribus, infirmitatibus, & post  
hæc tanta mortis supplicium non evadit. — Pauper in nati-  
vitate, pauperior in vita, pauperrimus in cruce. Natus e-  
nim*

nam pastum habet lac virgineum, tegmen pannos viles. In vi-  
ta vero si tegumentum habuit, sæpius in victualibus defecit.  
In morte & nudum invenies, & sitientem. — Postremo au-  
tem cultro timoris amputati sunt ab ipso omnes amici & pro-  
ximi, ut non esset qui consolaretur eum ex omnibus charis  
ejus. Adco crux optimi Iesu Christi non tantum fuit unius <sup>Bern. l. c.  
od. c. 35.</sup>  
diei, sed tota vita illius crux fuit & martyrium. Seorsim  
tamen atrocissimæ fuerunt injuriæ & dolores, quos sus-  
tinuit grande illud redemptionis opus, cujus perficiun-  
di gratia in hunc mundum venerat, mox adimpleturus.  
Quos jam jam sibi imminere prævidens & sciens omnia <sup>Ioan. xviii,  
4.</sup>  
quæ ventura erant in se, cæpit contristari, expavescere, & <sup>Matth.  
xxvi, 37 :</sup>  
gravissime angi, dicendo, Undiquaque tristis est anima <sup>Mar. xiv, 33.</sup>  
mea usque ad mortem. Quia eum (addit Ambrosius) con- <sup>Ambr. l. 7.  
commen-  
tar. in Luc.  
c. 12.</sup>  
ditio corporalis affectus, non formido mortis offendit. Nam  
qui corpus suscepit, omnia debuit subire quæ corporis sunt,  
ut esuriret, sitiret, angeretur, contristaretur. Divinitas  
autem commutari per hos nescit affectus. Quin etiam ab  
Angelo corroboratus fuit Angelorum conditor, præ  
angoris vehementia sanguinis sudorem large profun-  
dens. Hinc denique magna voce in cruce exclamavit:  
Deus mi, Deus mi, cur deseruisti me? Non desperatione  
adactus, utpote qui noverat propterea Patrem se diligere, <sup>Ioan. x, 17 :</sup>  
quia deponat animam suam, ut eam rursus assumat: qui <sup>xvi, 32.</sup>  
que paullo ante dixerat, etiamsi ab omnibus derelin-  
quatur, tamen se non esse solum, nam Patrem secum esse:  
in ejusdem manus mox spiritum suum deponens &



Ambros.  
serm. 1 in  
ps. 118.  
Bernhar.  
serm. de  
pass. Dom.

Thren. I, 12.

Bernh. l. de  
pass. c. 2

Iren. l. 3,  
c. 4.

1 Pet. I,  
19, 20.

cōmīdāns. Nec quod infernales cruciatus senti-  
ret. Nam & hujus eadem plane cum isto ratio est, nec  
nisi damnatis & maledictis ii competunt. Sed *secundum*  
*corpus in quo est traditus passioni vox ista processit, quoniam*  
*derelinqui nobis videmur, quando sumus in periculis consti-*  
*tuti: ut iterum alicubi loquitur Ambrosius. Elegan-*  
*ter non minus quam vere de hac re Bernhardus: Ar-*  
*bitramur, quod hoc ad consolationem infirmorum membro-*  
*rum tuorum (dominator domine Iesu) assumpsisti, ne forte*  
*desperet quis, si caro infirma remurmurat, ubi ad passionem*  
*promptus est spiritus. Nimirum ut majoris erga te amoris &*  
*gratitudinis stimulos habeamus, naturalem carnis infirmi-*  
*tatem his indicis in te expresisti, quibus doceremur, quia*  
*vere languores nostros portasti, & non absque sensu doloris*  
*passionum sentes percurristi. Hæc ille. Homo videlicet*  
*erat Servator, adeoque nihil humani (solo excepto*  
*peccato) ab eo erat alienum. Tamen si vero tanto dolo-*  
*ri subjiceretur, ut in ipso veraciter noscatur impletum quod*  
*ante dixerat per prophetas: O vos omnes qui transitis per*  
*viam, attendite & videte, si est dolor similis sicut dolor meus;*  
*ceum idem loquitur Bernhardus: tamen omnia nihilo-*  
*minus summa & singulari tolerantia sustinuit, etiam pro*  
*sanguinariis & truculentis suis hostibus Patrem depre-*  
*cans, idque propter eminentissimam erga figmentum su-*  
*um dilectionem, ut ait Irenæus. Nimirum non satis e-*  
*rat Christum carnem & naturam humanam assumpsisse,*  
*sed necessum erat nos ejus redimi pretioso sanguine, ut-*  
*pote*

pote agni inculpato & incontaminato, præcogniti jam ante  
jacta mundi fundamenta. Cujus proinde ignorantiam  
viatoribus Emmaunticis ipsemet exprobrabat: Nonne  
hæc oportuit, ajens, pati Christum, & introire in gloriam  
suam? Conducebat itaque, ut Iesus pro gente moreretur:  
nec tantum pro ea gente, sed ut etiam filios Dei dispersos con-  
gregaret in unum. Quod fore Caiphas cum dixit, bonum sed  
non bene locutus est: quia dum crudelitatem necis appetiit,  
redemptionis gratiam prophetauit. Quod recte censeat  
Gregorius Magnus.

Luc. xxiv,  
26.

Ioan. xi  
51, 52.

Greg. l. 23.  
moral. c. 3.

Act. II, 24.

Nunc eundem, solutis doloribus mortis, à Deo susci-  
tatum & resurgentem deque omnibus hostibus suis  
gloriose triumphantem contemplantur. Id quod fore  
ipsemet diserte prædixerat. Fieri quippe non poterat,  
ut à morte retineretur: ceu jam olim David progenitor  
ejus, quum propheta esset, prævidit, sub ejus persona  
ita vaticinatus:

Ps. xvi, 10.

*Non degere tartari*

*Permittes animam sub tenebris meam,*

*Aut ut putre cadauer resolutum in cineres fluat:*

quomodo sancti regis verba expressit ille cum omni  
antiquitate comparandus è Scotia paraphrastes. At-  
que ita Christus patiendo & resurgendo perfecit τῆς ἀν-  
θρώπων φύσεως ἀναγέννησιν humanæ naturæ novam ela-  
borationem, ceu loquitur Theodoretus. Et infirmita-  
tem suscipiens Dominus dum pœnam nostram moriendo tole-  
ravit, corruptionem nostram resurgendo mutavit: inquit  
Gregorius Magnus. Sicut enim in Adamo omnes mo-

Theod. in  
terpretat.  
Ps. 29, vii.

Greg. l. 24.  
moral. c. 4.

A 3

riuntur,



1 Cor. XV,  
22.

Hil. l. 1. de  
Trinit. p. 5.  
ed. Paris.

Ioan. XIV,  
2, 3: XVII,  
20, 24.

Hier. epi-  
raph. Ne-  
pot.

riuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur. Unde à  
Christi resurrectione communem pie demortuorum  
resurrectionem colligit & prolixè demonstrat Apostolus,  
Corinthios suos redarguens & in fide confirmans. De  
qua videlicet plane certi jam sumus, ipso (Christo) pro  
nobis ex immortalitate moriente, ut ad immortalitatem una  
cum eo excitaremur ex morte, ut Hilarius scribit. Immor-  
talitas autè illa in æterna beatitudine consistit, adeoque  
faciet ut in Domino obdormientes ad vitam cælestem  
resurgant & incolent habitationes, quas in domo Patris  
sui multas esse quasque discipulis paratum, se proficisci  
& rursus venturum & assumpturum eos ad seipsum, ut  
ubi ipse erit & illi sint, dicebat Servator. Pro quibus,  
nec tantum pro istis, sed & pro iis qui per sermonem eorum  
credituri sint in se, jam jam passionem subiturus Patrem  
rogando, Pater, inquit, quos dedisti mihi, velim ut ubi sum  
ego, & illi sint mecum, ut spectent gloriam illam meam quam  
dedisti mihi. Rectè proinde Hieronymus Heliodorum  
suum adeoque semetipsum super obitu Nepotiani con-  
solans: Flamme à illa romphea, dicit, custos paradisi, & præ-  
sidentia foribus cherubim, Christi restincta & reserata sunt  
sanguine. Nec mirum hoc nobis in resurrectione promitti,  
quum omnes qui in carne, non secundum carnem vivimus, mu-  
nicipatum habeamus in celo, & hic adhuc positus dicatur in  
terra: Regnum Dei intra vos est. Tantorum bonorum  
nobis autor est Christus moriens & resurgens. Ut hunc  
diem, veluti futuræ felicitatis certum prænuncium  
& quasi



& quasi prædem, mērito veneremur summisque laudi-  
 bus efferamus. *Hic videlicet est dies,* (verba sunt Gre-  
 gorii Nysseni,) *quem fecit Dominus.* Εὐ ἢ ἔργον ἐστὶν, & Nyss. orat.  
 βαρὺ π καὶ δυσκατόρθωτον. ἀλλὰ χαρὰ καὶ εὐφρο- 4. in Chr.  
 σὺνη καὶ ἀγαλλίαμα. In quo opus (sive officium) est, resurrect.  
 non grave aliquod & effectu difficile: sed gaudium & letitia  
 & exsultatio, ita dicente Scriptura: Exsultemus & late- Ps. cxviii,  
 mur in eo. O mandata præclara! ô dulcem constitutionem! 24.  
 Quis sine mora talibus præceptis non obtemperabit? immo  
 quis non in damno ponet vel exiguam jussorum dilationem?  
 Εὐφροσύνη τὸ ἔργον, καὶ ἀγαλλίαμα ἐστὶ τὸ ἐπίτα-  
 γμα. Δι' ὧν ἀναλύεται ἡ ἐπὶ τῇ ἀμαρτία κατάκει-  
 σις, καὶ εἰς χαρὰν τὰ λυπηρὰ μετατρέμονται. Letitia  
 est opus, & exsultatio est id quod præcipitur. Per  
 quæ propter peccatum facta condemnatio rescinditur,  
 & in gaudium tristitia convertuntur. Hoc est sapientiæ  
 notabile dictum, in die letitiæ oblivio malorum. Oblivi-  
 onem primæ contra nos sententiæ pronuntiatæ dies hic indu-  
 xit: immo vero abolitionem, non oblivionem. Oblittera-  
 vit enim omnem omnino memoriam contra nos factæ condem-  
 nationis. Et aliquot interjectis: Quid igitur ob hæc facere  
 convenit? quid aliud, nisi imitari montes propheticos & col-  
 les tripudiis? Montes enim, inquit, salierunt velut arietes, Ps. cxiv,  
 & colles sicut agni ovium. Agite igitur exsultemus Domino, 4.6.  
 qui fregit hostis potentiam, & magnū tropæum crucis pro no-  
 bis erexit in ruina adversarii. Αλαλά ζῶμεν. Αλαλαγ-  
 μὸς δὲ ἐστὶν ἐπινίκιος εὐφρημία. Iubilemus! Iubilus autem  
 est in victoria læta acclamatio, quæ à victoribus adversus victos ex-

citatur. Quoniam igitur prostrata est hostis acies, & ille ipse qui imperium nefarii demonum exercitus habebat perit & aboletus & in nihilum jam redactus est: dicamus, quod Deus sit magnus dominus & rex magnus super omnem terram. Hæc ille. Quomodo autem digne illud ipsum præstare possimus, quidque nostri sit officii, neminem qui Christo nomen dedit vel latet vel latere potest. Oportet videlicet, ut sicut suscitatus est Christus ex mortuis in gloriam Patris, ita & nos nova vita ambulemus. Illud scientes, veterem illum nostrum hominem cum eo crucifixum esse, ut aboleatur corpus peccati, ne nos amplius serviamus peccato. Ad nullos videlicet non ex æquo pertinet, quod seorsim Romanis tradit magnus Apostolus: Ita vos colligite, pergens, vos tum mortuos esse peccato, tum vero vivere Deo per Christum Iesum Dominum nostrum. Ne regnato igitur peccatum in mortali vestro corpore, ut auscultetis ei in cupiditatibus corporis. Neque sistite membra vestra arma injustitiæ peccato: sed sistite vos Deo, ut ex mortuis vivos, & membra vestra arma justitiæ Deo. Itaque festum agitemus, non fermento veteri, nec fermento malitiæ & nequitia: sed non fermentatis panibus sinceritatis & veritatis: *μὴ δὲ ἐπιφερόμενοι αἰγυπτιακὰ καὶ αἰθερὰ φουράματος*, nihil inferentes *Aegyptiacæ & impia massa*, addit Gregorius Nazianzenus. *Αὕτη τὸν ἡμέραν, ἣν ἐποίησεν ὁ κύριος. Ἄγαθὰ διασώμεθα καὶ εὐφρανθῶμεν ἐν αὐτῇ, μὴ μέθαις καὶ κώμοις, μὴ χοροῖς καὶ παρρησίαις, ἀλλὰ ταῖς ἰσοειδέσιν ἐννοίαις.* Hæc igitur est dies, quam fecit Dominus. Exsultemus & lætemur in ea, non ebrietatibus & comessationibus, non saltationibus & debacchationibus, sed Deo similibus cogitationibus. Quam præclaram alterius jam ante laudati Gregorii adhortationem si vos quoque, Studiosi Cives, & hisce diebus & per omnem ætatem etiam atque etiam vobis commendatam habebitis, moresque vestros ita instituetis, ut liberatos à peccato, servos autem factos Deo, decet, fiet ut habeatis fructum vestrum in sanctimoniam, finem autem, vitam æternam. Id quod faxit, qui eam & jus civitatis cælestis adeo contumeliosa & cruenta morte ac gloriosa resurrectione humano generi reparavit, Christus Iesus. Is eripiet nos ab omni opere malo, servabitque regno suo cælesti: cui gloria in secula seculorū. Amen. V.P.P. in Academia Julia, ipso festo Resurrectionis, c. l. v. c. lxxvii.

Rom. vi.  
 4, 6, 11, 12, 13.

I Corinth.  
 v. 8.

Naz. orat.  
 41.

Nyss. orat.  
 3 in Chr.  
 resurrect.  
 p. 851, ed.  
 Paris.

Rom. vi, 22.

II Timoth.  
 IV, 18.

99 A 6919

ULB Halle 3  
002 631 202





56.

Reho. ✓

VD17







50.  
Programma  
FESTO  
RESVRRECTIO-  
NIS DOMINI NOSTRI  
IESV CHRISTI

IN ACADEMIA IVLIA

Anno MDCC LXVII

P. P.



HELMESTADII,  
Typis HENNINGI MÜLLERI, Acad. Typ.

